

ex victoria, Divino potius quam humano consilio parta, quid vel exigui fructus extitisse? in ipsa agendarum rerum opportunitate magnam ætatis partem, prius quam Hispani moverent, infumptam: Austriacum, cum Cytheram tuto progredi posset, Fuscarenum, & Columnam revocasse: hostes ad Methonem ac Pylum prope fame enectos ac victos dimisisse: consulto inanibus disceptationibus tempus obtritum, ut Venetorum exhaustis viribus, nonnihil de pristino Reipublicæ decore ac virtute deperiret: centies vicies centena aureorum millia absumpta. Quid igitur, tot circumventa periculis, incerta ac fluxa sociorum fide, Respublica faceret? nisi ut labentibus rebus succurreret, populorum saluti, atque incolumitati prospiceret; imperium maritimum, quod haud dubie propugnaculum reipublicæ christianæ existimaretur, ex avidissimis hostium faucibus eriperet?

Verumtamen cum statim Senatus Paulo Theupolo per dispositos equos Romam pacis nuntium misisset, quæque ad id consilium impulerant, Gregorio significare iussisset, isque extra urbem animi causa in Altempstij rure moraretur; confestim eo se Theupolus contulit, atque, ut in re gravi opus erat, ab iis orsus, quæ Veneti toto triennio pro Reipublicæ dignitate, pro christiani nominis gloria egerant, cum sensim ad rerum præsentem statum pervenisset, tandemque quo ejus flecteretur oratio, Gregorius animadvertisset, repentino irarum fluctu perturbatus atque exæstans, repulit, Reipublicæque causam tueri aggredientem, profari vetuit; acerbissimisque verbis a suo illum conspectu dimoveri præcepit. Ille, ut erat incredibili ingenii dexteritate atque eloquentia, frustra exasperatum Pontificis animum mollire adnixus, discedit. Nec deerant, qui severius aliquid in Venetos decreturum Gregorium existimarent; atque, ut plerumque contingit, Principis sententiæ plebem adstipulari. Nemo Romæ erat, qui Venetum nomen probris maledictisque non incesset, atque petulanter carperet; ut legato, ne quid in se ab infano populo committeretur, ædes armatis firmare ac stipare necesse fuerit; compluresque e Romanis proceribus, propenso in Rempublicam animo, Theupolum adirent, eique ad dignitatem decusque Senatus tuendum promptissimos animos offerrent.

Vulgi quoque in Germania ac Hispania haud absimilis animorum habitus cernebatur, licet Philippus de inita concordia certior

1573

*Gregorius  
Pōtifex pa-  
cis nuntio  
valde per-  
turbatur.*

*Philippi  
Regis mode-  
ratio.*

tior